



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De tribus aliis speciebus veritatis syllogisticæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

de inesse, vt contingit omnem hominem esse album, quidam lapis non est albus, ergo quidam lapis non est homo; non verò, ergò contingit quendam lapidem non esse hominem: quæ enim in hoc contingentia esse, quod periculum metui potest: atque, vt omnis homo est albus, contingit quoddam animal non esse album, ergò quoddam animal non est homo; non verò, ergò contingit quoddam animal non esse hominem, id siquidem est necessarium, vt quod maximè.

53 In tertia figura, quando maior est de contingenti, & minor de inesse, conclusio est de contingenti, vt v.g. contingit hominem omnem esse album, omnis homo est animal, ergò contingit aliquod animal esse album: si autem minor sit de contingenti, & maior de inesse, conclusio erit de inesse, non de necesse, veluti omnis homo mouetur, contingens est aliquem hominem currere, ergò aliquod currens mouetur; non autem, ergò contingens est aliquod currens moueri, cum potius necesse sit quidquid currit hoc ipso moueri.


54 Quod spectat ad syllogismos modales ex vna præmissa de necesse, & altera de contingenti: si in duobus modis affirmatiuis primæ figuræ, videlicet Barbara, & Darij, maior fuerit de contingenti, & minor de necesse: sequetur conclusio de contingenti, vt, contingit omne animal esse sanum, necesse est omnem hominem esse animal, ergò contingit omnem hominem esse sanum. Cæterum, si è contrario maior sit de necesse, & minor de contingenti, eo ipso erit conclusio, non de necesse, nec de contingenti, sed de inesse, vt necesse est omne dormiens esse animal, contingens est aliquem hominem dormire, ergò aliquis homo est animal, non verò ergò contingens est aliquem hominem esse animal, nec etiam, ergò necesse est, aliquem hominem esse animal, nisi per accidens spectata forma, soliusque gratia materiæ, vt constat ex hoc syllogismo, cuius consequentia est nulla, necesse est omne dormiens non vigilare, sed contingit aliquem hominem dormire, ergò necesse est aliquem hominem non vigilare. Similiter, si in duobus modis negatiuis eiusdem figuræ, nempe Celarent, & Ferio maior negatiua sit contingens, & minor affirmatiua de necesse, conclusio erit de contingenti, vt contingit, nullum animal currere, sed necesse est omnem hominem esse animal, ergò contingit nullum hominem currere: Verum, si propositio negatiua in eis sit de necesse, & affirmatiua de contingenti, ne sequetur conclusio de contingenti, nec de necesse, sed tantum de inesse, vt necesse est nullum ridens esse lapidem, contingit omnem hominem ridere, ergo nullus homo est lapis, non verò; ergò contingit nullum hominem esse lapidem, cum eiusmodi sit falsa, nec etiam; ergò necesse est nullum hominem esse lapidem: quamuis enim hæc conclusio sit vera, non tamen nisi vi solius materiæ, cum ratione formæ, & consecutionis possit ei subesse falsum, vt patet ex hoc syllogismo citrà dubium falsò concludente, necesse est nullum immotum currere, sed contingit omnem hominem esse immotum, ergò necesse est nullum currere.

55 In secundæ figuræ tribus primis modis, si præmissa negatiua sit de necesse, & affirmatiua de contingenti, conclusio nec erit de contingenti, nec de necesse, sed tantum de inesse: haud enim valet, necesse est nullum coruum esse album, contingens est omnem hominem esse album, ergò contingens est nullum hominem esse coruum: haud etiam, necesse est nullum sedentem currere, contingit omnem

hominem currere, ergò necesse est nullum hominem sedere: valet tamen ex vtriusque præmissis, ergò nullus homo est coruus, ergò nullus homo sedet. Quod si è contrario negatiua præmissa sit contingens, & affirmatiua de necesse, haud sequetur conclusio de necesse: contingentia enim vnius præmissæ vetat semper necessitatem conclusionis, vt ex superioribus liquet: haud etiam de contingenti cum non valeat: contingit nullum hominem esse album, necesse est omnem cygnum esse album, ergò contingit, nullum cygnum esse hominem: tantum igitur sequi potest, nullus cygnus est homo, quæ est conclusio de inesse. Similiter in quarto modo se res habet, & qualiscunque illius præmissa sit de necesse, aut de contingenti, necessitas, nec contingentia conclusionem afficiet, sed hæc vtriusque immunis euadet, vt inspicienti constabit.

In tertia figura modi affirmatiui, quæcunque earum præmissa sit de contingenti, quantumuis altera sit de necesse, conclusionem contingentem inferent, veluti contingit omnem hominem currere, necesse est omnem hominem esse animal, ergò contingit aliquod animal currere. Cæterum modi negantes inferent conclusionem de contingenti, si in eis præmissa negatiua fuerit de contingenti, & affirmatiua de necesse, vt contingit nullum hominem esse album, necesse est omnem hominem esse animal, ergo contingens est aliquod animal non esse album: quod si è diuerso præmissa negatiua sit in eis de necesse, & affirmatiua de contingenti, conclusio erit de inesse, & non de necesse, nec de contingenti: haud enim sequitur, necesse est nullum hominem mugire, contingens est aliquem hominem ridere, ergò contingens est aliquod ridens non mugire: est enim potius id necessarium: haud etiam, necesse est nullum sedentem currere contingens est aliquem sedentem loqui, ergò necesse est aliquod loquens non currere: tantum ergò sequitur ex prioribus præmissis, aliquod ridens non mugit; & ex posterioribus, aliquod loquens non currit.

Quatenus autem syllogismi modales imperfectè concludentes probentur per reductionem tum ostensiuam, tum etiam per impossibile ad quatuor modos perfectos itidem modales primæ figuræ; eorum verò, qui nè imperfectè concludunt, inefficacitas, ac nullitas suadeatur, per hoc quod vtriusque reuocationis sint incapaces, facile colligi potest ex dictis hoc libro, tract. 1. videndique sunt circa alterum alterumque B. Thomas, Cominbricenses, & ipse Aristoteles, locis superius citatis.



TRACTATVS III.

De tribus aliis speciebus veritatis syllogisticæ.

CAPVT I.

Quid & quotuplex sit syllogismus demonstratiuus.

DEMONSTRATIO, paulo latius sumpta, perinde est, atque quæuis ratiocinatio vera, siue creat

certa siue probabilis tantum, siue clara, siue obscura, & quocunque modo procedat, mediove innitatur: Concludere quiddam inquit Clem. Alexand. 8. Strom. ex iis qua quis conficitur, est ratiocinari, siue syllogismum conficere: ex veris aliquid concludere est demonstrare: adeo ut sit quedam composita utilitas demonstrationis: nempe, & ex eo quod qua sumuntur vera sumat, ad ea qua queruntur, & ex eo quod inferatur consequens conclusio. Quod si non sit prius, vel id non consequatur secundum, non demonstrabit quidem, sed est ratiocinatus seu efficit syllogismum: assumptis enim propositionibus convenientem inferre conclusionem solum, est ratiocinari: ex assumptis autem propositionibus esse etiam unamquamque veram non solum est ratiocinari, sed etiam demonstrare. Et ibidem inferius: Dicitur est autem fidei quoque & demonstrationis genus esse duplex: unum quidem, quod solum affert persuasionem animis auditorum: alterum vero, quod efficit scientiam.

2 Demonstratio strictè usurpata definiri solet ab Aristotele, & eius interpretibus: primò, syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis. Secundò syllogismus faciens scire. Tertio & clariùs, syllogismus, in quo ex praemissis evidentibus sequitur evidenter conclusio. Posteriores hunc, ac magis proprium demonstrationis intellectum triplici eius definitione, quarum tamen neutra dissidet admodum ab alia, contentum approbat Clemens Alexand. superius 8. Strom. in hæc verba, Si quis ergo inceperit ex iis, qua sunt evidentia sensus, & intelligentia, & deinde convenientem intulerit conclusionem, verè demonstrat: sin autem ex opinabilibus solum, sed non primis, hoc est neque sensu evidentibus, neque intelligentia, si convenientem quidem inferat conclusionem, ratiocinabitur quidem, sed non qua scientiam constituat demonstrationem: sin autem non convenientem, ne omnino quidem rationabitur. Et ante 1. Strom. qua enim ex demonstrationibus conficitur oratio, perfectam animam fidem facit, eius quod consequitur, ut non putet id, quod demonstratum est, aliter se habere: nec finit, ut iis succumbat, qua nobis per fraudem incurrunt.

3 Demonstratio iuxta Aristotelem, ac ceteros dialecticos alia est à priori, à posteriori alia. Illa est, in qua per causam qualemcumque, aut quasi causam, siue rationem formalem effectus demonstratur, ut cum existeret lucem propterea quod sol existat, aut Deum voluntate prædium esse, propterea quod intellectu polleat, aut Petrum esse hominem, propterea quod sit animal rationale, demonstratur: hæc est, in qua per effectum qualemcumque, aut quasi effectum causa demonstratur, cuius exempla sunt ex iamam dictis in propatulo. Deinde demonstratio dissecari consuevit, in demonstrationem quia & propter quid. Demonstratio, propter quid, est qua rem ostendit: demonstratio, quia, est, qua vel per causam remotam, vel per effectum procedit: nuncupatur autem ita prior, eo quod causa proxima rei sit propter quid est, idque propriè, & perfectè, atque ita ut intellectui satisfaciat: posterior verò, eo quod tantum demonstret, quia res est, siue quod res est, non tamen per eius causam proximam, & perfectam, propteriùs propter quid, quodque sciendi aviditatem intellectui ingeneratam possit satiare. Præterea demonstratio alia est perfecta, perfectissima alia: demonstratio perfectissima est, in qua de subiecto demonstratur prima passio per essentialiam, ut cum de homine demonstratur, esse admirativum, quia est rationalis: si quidem hoc quod est esse admirativum est prima passio hominis, quæque

ad eius essentialiam proximè accedit: demonstratio perfecta est quavis alia.

Circa secundam, ac magis inter authores controverfam diuisionem quæres, an posterius eius membrum videlicet demonstratio, quia, rationem diuini propriè participet: Videntur negare Themistius 1. post. cap. 12. Philoponus ibidem cap. 8. Simplicius 1. phyl. com. 1. Alexand. 1. prior. com. 3. Auicenna & alij. Sed ceteri omnes Peripatetici tuerentur contrarium, quibus hac in re subcribo: nihil enim apud ipsos aduersarios, nihil apud omnes familiarius, quam causam per effectus demonstrari solere, idque absolute, & sine restrictione vlla: non autem propter quid, ergò quia. Sciscitaberis secundò, circa eandem diuisionem, an eius membra essentialiter, ac specificè differant. Renuit Appolinarij 1. post. qu. 75. art. 2. Ceteri tamen dialectici, præsertim verò Auerfa qu. 28. log. sect. 2. §. secundo ex oppositio, ac Tellez p. 1. sum. disp. 18. sect. 1. num. 15. inter demonstrationem propter quid, ac demonstrationem quia essentialia dissidium cognoscunt: & iure optimo. cum diuersis mediis innitantur ambæ.

Quæres tertio, num ea diuisio sit vniuoca, vel analoga? Analogiam eius tradunt Balduinus, Zabarella, & Auerroes apud Auerfam qu. & sect. superius citatis. Ceterum ipse, & cum eo Tellez, & alij communiter malunt, eam esse vniuocam: nobisque etiam id ipsum magis placet: vtræque enim est propriè demonstratio, ut nuper insinuat: sicut igitur homo, & equus in ratione animalis, quam propriè participant, vniuocè conueniunt, ita similiter in præfenti, &c. Sciscitaberis quarto, circa eam diuisionem, an sit adequata: Negant Auerroes, Zimara, & Balduinus, quoniam, inquit, demonstratio, propter quid, tantum ostendit causam, ob quam res est, non tamen rem esse, sed potius hoc supponit: demonstratio verò, quia, solum ostendit rem esse, causam tamen quapropter sit, neutiquam manifestat: est igitur inter vtramque media quædam demonstratio admittenda, quam vocant potissimam & simpliciter, videlicet cuius officium sit ostendere, ac planum facere, & rem absolute esse, & simul eius propter quid, siue causam. Contrà verò eiusmodi diuisionem esse adequatam, atque ad vnum, vel alterum eius membrum esse renocandam demonstrationem illam simpliciter, ac potissimam nuncupari solitam, censent B. Thomas, Scotus, Themistius, Philo. onus, Egidius, Albertus, Venetus, Apollinaris, Caietanus, Zabarella, Auerfa, Tellez & Vallius in logica t. 2. lib. 1. disp. 2. part. 3. qu. 1. & 2. Horum sententia mihi magis arridet: Namque nulla demonstratio est, quæ vel non sit per causam proximam, vel per effectum, causamvè remotam, aut aliud medium: nulla ergò quæ non sit vel demonstratio, quia, vel demonstratio, propter quid, vtriusque definitio si rectè habet. Rursus, ut obiter contraria sententia firmissimo, & præcipuo deiiciatur gradu, demonstratio, propter quid, non demonstrat tantum, aliquid esse causam rei, sed etiam quod vi & energia talis causæ absolute sit res ipsa v.g. non solum quod interpositio telluris inter solem, ac sydyus lunæ sit causa eclipsis lunaris, sed etiam quod hæc sit: probat enim conclusionem obiectionem per eius causam; hoc siquidem commune est omni argumentationi, ut eam per medium sibi proprium ostendat: at illius conclusio obiectionis est rem esse v.g. lunæ deliquium, siue eclipsim, ut claret ex hoc syllogismo, tellus posita inter solem, & lunam huius facit eclipsim, sed est interpositio telluris inter solem, & lunam, ergò & eclipsis lunaris: quamvis autem hæc prius

prius cognita, ac visa sit, nihilominus, sustinet demonstrari postea: quid namque vetat, rem aliquam bifariam cognosci, videlicet per sensum, & experientiam, nec non per scientiam; atque vnum, alterumque genus hoc cognitionis circa idem obiectum concurrere: simul quidem tempore, sed non natura.

63

Circa prius, ac principalius eius diuisionis membrum dubitari consuevit, an, vt res proprie loquendo demonstratur, *propter quid*, satis sit, eam ostendi per causam à se realiter indistinctam, magisque talem in cognoscendo, quam in essendo? Non requiri ad demonstrationem huiusmodi, causam physicam, ac realem, realiterve ab effectu distinctam, sed sufficere intentionalem, siue in cognoscendo, sentiunt Caietanus 1. post. cap. 1. Valilius in log. tom. 2. lib. 1. disp. 2. p. 2. q. 6. c. 4. Collegium Conimbric. in log. cap. 2. de scient. q. 1. art. 2. Auerſa q. 28. log. sect. 3. paulo ante medium, Tellez supra disp. 18. log. sect. 1. conclus. 4. Quibus suffragor: quæ enim demonstratio esse potest, nisi *propter quid*, ea qua demonstratur de homine risibilitas, propterea quod sit rationalis, aut ea, qua de Deo demonstratur voluntas, propterea quod sit perfectissimo intellectu præditus, aliudve quoduis attributum vi alterius, vt passim arguunt Theologi scholastici: neutra autem procedit per causam physicam, sed potius vtræque per intentionalem. Præterea secundo circa idem diuisionis membrum disquiri solet, an eiusdem conclusionis possint esse plures demonstrationes, *propter quid*, vel potius esse nequeat illius nisi vna sola. Vnam tantum vnius conclusionis esse posse demonstrationem, *propter quid*, putant Auerroes 2. post. comment. 46. & 97. ac Zabarella lib. de spec. demonstr. c. 2. Sed immerito, quoniam, vt bene animaduertit Auerſa superius citatus, nihil prohibet, eiusdem rei esse plures causas proximias, veluti si probetur de homine, quod sit in vtramque partem moraliter operatiuus, ac vel laudabiliter, vel illauidabiliter, tum per causam efficientem, quoniam videlicet est intellectiuius, tum per finalem, quia propter beatitudinem, Deique visionem creatus, tum per formalem, quoniam est libero arbitrio præditus, tum denique per materialem, aut veluti materialem, quoniam substantia constans spiritali.

7

Circa posterius eiusdem diuisionis membrum, scilicet demonstrationem, *quia*, quædam sunt breuiter animaduertenda: haud enim ea vacat in vtramque partem disputare: Primum nimirum eiusmodi demonstrationem dici talem aliquando, propterea quod ad causam ab effectu gradum faciat, vt cum probatur tellurem in orbem esse rotundatam, quia tempore eclipsis lunam orbiculariter opacat, aut planetas syderibus fixis esse propinquiores, quia non scintillant. Secundò eam demonstrationem dici talem, quando arguitur à signo, etiamsi non sit effectus, vt cum probatur aliqua conclusio per reductionem ad impossibile: quod enim euidentius signum esse potest, eam esse veram, quam quod ex ea negata sequantur duo contradictoria: Tertio quando arguitur, per causam non proximam: causa autem proxima, qua niti debet demonstratio *propter, quid*, vt superius visum, & qua niti nequit demonstratio, *quia*, qua de loquimur in præsentem, censeretur debet iuxta Aristotelem, & eius interpretes, ea, quæ est conuertibilis cum effectu, sic vt eiusmodi causa sine effectu, & hic sine illa nunquam possit reperiri. Quocirca, si quis probet lapidem non respirare, quia non est animal, erit demonstratio, *quia* ac per

causam non proximam, eo quod non recipitur carentia respirationis, & non animal, possintque plura non respirare, quin eorum vllum sit non animal, sed quoduis potius animal, nimirum pisces: quod si quis probet, lapidem non respirare, quia caret pulmone, erit demonstratio *propter quid*, ac per causam proximam, & conuertibilem, eo quod nihil non respiret; quin careat pulmone, nihilque pulmone careat, quin non respiret. Atque hinc est, causam proximam, seu conuertibilem principaliter dici causam, ac demonstrationem ei innixam absolute, *propter quid*, contra verò causam non proximam, siue irreciprocam, & inconuertibilem, ferme nomen causæ non meriti, adeoque solius demonstrationis, *quia*, non verò *propter, quid* denominationem tribuere: intellectus enim certior factus huius posterioris causæ non quiescit, & tamen si sciat, lapidem v.g. non respirare, quia non est animal, pergit ulterius inquirere, cur nam alia, quæ sunt animalia, videlicet pisces, non respirent: cæterum deprehensa priori causæ, satiatur illa sciendi auditas ei ingenerata; nec postquam scit lapidem v.g. non respirare, quia caret pulmone, potest ulterius dubitare, quapropter pisces, quibus nullus inest pulmo, non respirent, deinde huius eorum à cæteris animalibus dissidij causa sollicitus esse. Quartò denique quando arguitur per medium, quod nec sit causa, nec effectus. Quamuis enim hoc genus demonstrationis negare videatur Auerroes, & Zabarella lib. de spec. demonstr. cap. 5. Cæterum Themistius, Auerſa, & alij communiter illud admittunt, & quantum mea opinio est, iure merito: hæc namque sunt veræ demonstrationes, omne quod est perfecta ratione simile homini, eo ipso est dissimile Leoni, sed omnis homo est perfecte similis homini alicui, ergò dissimilis leoni: omne quod est risibile est flebile, sed omnis homo est risibilis, ergò & flebilis: omnes lineæ, quæ æquales vni tertiæ, sunt æquales inter se, sed trianguli æquilateri tres lineæ ita sunt institutæ suapte natura, vt earum singulæ sint æquales vni tertiæ, ergò & æquales erunt inter se inuicem, vt habetur lib. 1. Euclidis problem 1. propos. 1. At nec similitudo hominis cum homine est causa aut effectus dissimilitudinis eius cum leone, nec è conuerso: par ratio est risibilitatis, ac flebitatis: par æqualitatis quarundam linearum inter se, & eius, quam habent respectu vnius tertiæ: par aliarum similium proprietatum, quæ in mathematicis disciplinis passim solent demonstrari. Quomobrem in eo non parum errant aduersarij, quod præter connexionem instar causæ, aut effectus, aliam concomitantem superioribus exemplis declarant minimè agnoscant.

CAPVT II.

Cuiusmodi esse debeant præcognita syllogismi demonstratiui.

DE præcognitis ad demonstrationem in præsentem operatiuius, quam vtilius à multis disputari consuevit. Ipse absque longo opinionum, & argumentorum censu in compendium redigam, quæ fuerint ponderis alicuius. Præcognita ergo ad demonstrandum, siue ea, quæ prænosci oportet antè demonstrationem, alia sunt complexa, alia incomplexa: præcognita complexa sunt ipsæ præmissæ obiectiuæ, quæ formales, atque assensum conclusionis

8

tionis ex his deriuatum proculdubio anteuertunt: prius enim ordine naturæ est, rem esse, quam cognitioni alicui subesse, eamque terminare: præcognita incomplexa sunt termini, in quibus demonstratio constat, subiectum nimirum, & prædicatum conclusionis, mediumque per quod prædicatum de subiecto concluditur: nam antequam de homine esse animal, v. g. demonstrarem, opus est, prius cognoscere quid significet hæc vox, *homo*, aliqualemque rei ipsius per vocem significatæ notitiam habere: aliàs quo pacto aliquid de ea demonstrari poterit? eadem ratione præcognosci debet animal: aliàs illud de homine demonstrari non poterit: idem de medio, quod est viuens sensibile, v. g. dicendum.

9 Quod attinet ad præcognita incomplexa demonstrationis, siue terminos, quibus constat, trimembris est eorum diuisio, videlicet in minus extremum, maius extremum, & medium. Minus extremum, siue subiectum conclusionis demonstratiuæ, aut scientiæ, siue ea sit, quia; siue, *propter quid*, & omne id quo de aliquid demonstrari potest: quamuis enim aliquam multi authores ad illud exposcant, vt sit ens reale & non rationis positium, ac non negatiuum, vt sit substantia, & non accidens, vt sit creatum, finitumque, & non increatum, aut infinitum, vt sit incorruptibile, & æternum, ac non corruptioni obnoxium, nec cum tempore re fugacissima transiens, vt sit vniuersale, & non singulare, vt denique vnum per se, & non per accidens, aggregationemue: cæterum has conditiones ad minus extremum demonstrationis, aut scientiæ non requiri absolute, nec nisi ad summum adhibita aliqua moderatione, constat in met. lib. 8. tr. 6.

10 Maius extremum, siue prædicatum conclusionis demonstratiuæ, aut scientiæ, *propter quid*, est omne id, quod per causam proximam, seu conuertibilem demonstrari potest; eius verò, quæ quia, dicitur, omne id, quod, quocunque alio ex medio euidenter concludi sustinet: alterum autem alterumque quatenus eueniat superius satis est declaratum. Hoc tantum vltius superest dubitandum, an definitio possit esse maius extremum demonstrationis, *propter quid*, & in ea de subiecto conclusionis inferri? Negant enim Auicenna apud Auerroem comm. 38. & non pauci interpretes in secundum posteriorum, vbi Aristoteles ipse necnon 6. metaph. text. 1. videtur eis haud parum fauere: ratio verò, qua nituntur est talis: quod in demonstratione *propter quid* concluditur vi causæ proximæ, habet se instar passionis, haud ergo potest esse prædicatum essentiale, seu definitio.

11 Cæterum propius fidem affirmant Auerroës, Auerfa quæst. 28. logic. sect. 6. & communiter alij: tum quia verius est, ita sentire Aristotelem lib. illo 2. posteriorum text. 37. & 42. tum quia saltem vna definitio partialis, siue physica sit, siue metaphysica potest per aliam demonstrari, *propter quid*, vt omne, quod est animal, est rationale, vel irrationale, sed homo est animal, ergo est rationalis, vel irrationalis: non irrationalis, ergo rationalis: ite omne, quod constat materia prima, constat forma substantiali: at homo constat materia prima: ergo & forma substantiali: tum quia definitio partialis, si non per aliam causam intrinsecam, aut definitionem, at certe per causam extrinsecam demonstrabilis est, vt si probetur, hominem esse rationale, & intellectum propter finem homini extrinsecum, & ab eo distinctum, videlicet quoniam est eleuatus actu primo ad beatitudinem supernaturalem, eiusque capax factus: aut intellectum esse actum vitalem, quia intellectus eius

efficientis causa, prout talis, est facultas vitalis: tum tertio, quia tota definitio per causam extrinsecam demonstrari hoc pacto sustinet: omne id cuius finis proximus, munusque est, superare passionem partis inferioris ac sensitiuæ, easque rationi subiicere est animal rationale, huiusmodi autem est homo, ergo est animal rationale: tum denique, quoniam ipsa definitio integra, sumpta in actu, vt aiunt signato, & secundo intentionaliter, de seipsa in actu exercito, & primo intentionaliter usurpata, potest, ac solet aliquid demonstrare, atque huic instituto medium idoneum esse, veluti omnis oratio constans genere, & differentia est definitio, hominem autem esse animal rationale est oratio constans genere, & differentia, quod ergo homo sit animal rationale, est eius definitio.

Argute contra sunt parum solida: Namque Aristoteles, cuius autoritatis profugio vtuntur aduersarij, neutiquam eis fauet: haud enim loquitur de quauis demonstratione, *propter quid*, sed de illa, quæ dicitur perfectissima, & quæ primam passionem per essentiam, seu definitionem demonstrat: huius autem maius extremum, seu prædicatum conclusionis, cum sit prima passio definitionem consequens, qui potest esse ipsa definitio? aut quæ hinc ad alias demonstrationes, *propter quid*, sequela? Rursus, quod definitio probata per demonstrationem, *propter quid*, vi alicuius causæ anterioris sit potius veluti passio, quam essentia, aut definitio, in primis haud probat, definitionem materialiter sumptam non demonstrari, *propter quid*: at ad nostræ sententiæ veritatem satis fuerit, quod concedunt B. Tho. Caiet. & alij eam materialiter acceptam demonstrari, illo demonstrationis genere, de quo sermo in præsentia. Deinde falsum est, definitionem ita demonstratam eo ipso degenerare à definitione, & essentia in passionem atque proprietatem: ad id etenim opus esset, illam supponere velut se priorem, aliam definitionem adequatam, causamque integram intrinsecam; quam tamen non supponit, sed, vel causam extrinsecam, vel intrinsecam partialem.

13 Medium demonstrationis, quæ eacumque sit, potest esse quidquid vi vnionis cum extremis habet euidentem connexionem cum eorum inter se immediata identitate, siue quidquid ita est institutum, vt munere illius possit quippiam de alio euidenter probari; eius autem inueniendi artem superius tradidimus: nunc illud discutendum restat, an omne genus, causæ possit in demonstratione *propter quid*, esse medium. Philoponus 2. post. comm. 33. innuit solam causam formalem talis medij rationem obtinere posse. Alij quos suppressis nominibus refert Auerfa superius laudatus eam solam excludendam esse, ac cæteras omnes, videlicet materialem, efficientem, & finalem eiusmodi medium esse posse: Auerroës autem lib. 2. post. comm. 6. & 24. docet, materialem, & formalem esse reiciendas, velut huic demonstrationi inutiles, solamque efficientem, & finalem admittendas.

14 Cæterum vera, & magis recepta opinio est, per omne genus causæ demonstrari posse, *propter quid*. Ita Conimbricenses lib. 1. post. cap. 2. quæst. 3. Vallius tom. 2. log. lib. 1. disp. 2. part. 2. quæst. 2. Tellez part. 1. summæ disp. 18. sect. 1. conclus. 2. in eius medio. Auerfa citata quæst. 28. sect. 6. & communiter expostores Aristotelis. Suadetur autem, tum quia non est potior ratio, cur vna quam alia causa in hac demonstratione locum habeat; omnes ergo sunt admittendæ: tum quia, singularum exempla, eaque manifesta sunt

sunt à nobis adducta cap. prec. dub. 2. circa demonstrationem, *propter quid*: tum denique, quoniam id expresse docet Aristoteles 2. post. tex. 48. & 1. phys. cap. 7. & 8. nec non lib. 12. metaph. aliisque in locis, quos referre supervacaneum.

15

Qui tamen causam formalem demonstrationis, *propter quid*, medium idoneum esse renuntia ita obiciunt: hominem v. g. esse risibilem est denominatio quædam, ita instituta, ut eius causa formalis sit ipsa risibilitas, uti causa formalis albi est albedo, & cuiusvis alterius effectus formalis ipsa forma: sed fieri nequit, ut demonstretur, hominem esse risibilem per risibilitatem ipsam: id enim esset, idem per idem probare, quo nullum est in argumentationibus vitium maius: ergo nec per causam formalem: Par argumentum confici potest, non solum in proprietatibus hominis, cuiusmodi est esse risibilem, sed etiam in eius essentia, quæ est esse animal, esseque rationale. Qui causam materiale reiciunt argumentantur ita: materia prima est indifferens ad hanc, & illam essentiam complendam, componendam, nec non ad has, aut illas proprietates inferendas: haud ergo est medium aptum ad demonstrandum de homine, quod sit potius rationalis, quam hinnibilis, quodve risibilis magis, quam bel-luarum instar risus incapax. Qui causam efficientem, & finalem nolunt admittere, sic argunt: cum demonstratur de homine, quod sit risibilis, sola concluditur connexio essentialis terminorum, non vero quod eorum alteruter existat habereve esse: sed connexio essentialis terminorum haudquaquam habet causam efficientem: huius enim energia & efficacia occupatur tota in rei esse, siue existentia: nec porrigitur ad essentiam, quippe quæ suo modulo est æterna, nullique obnoxia productioni: risibilitas ergo (par autem est ratio cuiusvis alterius prædicati) nequit demonstrari per causam efficientem: quod si non per hanc, certe nec per causam finalem: finis enim concomitatur causam effectivam & communem cum ea terminum effectumve perpetuo respicit, cum definiatur, cuius gratia aliquid fit, siue efficitur.

16

Sed ad primum respondebis ex facili: cum demonstratur, hominem esse risibilem, quia constat anima rationali, medium non est risibilitas, sed anima rationalis, quæ quidem non est causa formalis intrinseca, & immediata denominationis demonstratæ, videlicet risibilis: cæterum est eius causa formalis mediata, & extrinseca, quandoquidem ita causat hominem, cuius est passio, ac proprietas, quod sit risibilis. Vel paulo aliter: Demonstratur tunc hominem esse risibilem per causam formalem etiam intrinsecam, non eius denominationis totiusve conclusionis obiectivæ; at subiecti denominati, de quo est conclusio, nimirum hominis: Atque vel hoc posteriori modo, vel certe priori tantum volumus, causam formalem esse medium demonstrationi, *propter quid*, idoneum. Ad secundum respondebis, materiam primam, propterea unitam huic formæ, v. g. humanæ, non esse indeterminatam ad quamlibet essentiam aut quasvis proprietates, sed potius destinatam, ut hominem potius rationalem constituat quam hinnibilem, & risibilem potius quam risus expertem: quidni ergo possit esse materia saltem in consortio formæ ad demonstrandum, *propter quid*, medium aptum? Rursus materia connexionem habet cum quantitate: poterit ergo per eam demonstrari, hominem esse quantum: Item materia cælestis, & sublunaris ita comparantur iuxta probabilem multorum sententiam, ut altera sit cum corruptione

coniuncta, & altera eius ignara prorsus: quidni ergo per alteram demonstrari possit, corpus substantiale ea constans posse corrumpi, & per alteram esse incorruptibile compositum, quod constituit.

17

Ad tertium respondebis, non semper connexionem essentialis extremorum, sed aliquando eorum unionem contingentem, & actualem demonstrari, *propter quid*, veluti cum evidenter concluditur cygnum actu esse album, quoniam habet colorem disgregativum visus: sicut ergo per definitionem demonstratur eiusmodi unio, & inhaesio, quidni etiam per causam eius effectivam, nimirum per temperamentum frigoris, siccitatis, aliarumque qualitatuum cygni proprium, aut per hoc, quod prima, causa efficiens nunquam cum cygno ad eius candorem non concurrat. Præterea secundò: nisi esset Deus, causæ primæ effectiva hominis, & rationalis, ac risibilis, haudquaquam homo esset risibilis, aut rationalis, sed potius horum omnium extremorum unio foret chimerica, & repugnans: non est ergo quapropter unio illa & connexio essentialis demonstrari nequeat per causam effectivam, quodam sensu talem, eamque quæ efficere verè possit, si non connexionem essentialis; at certè eius extrema terminosque. Ulterius tertio quamvis unio terminorum, de quibus iamiam sermo, propterea non essentialis, tantumque essentialis, nequiquam habeat causam effectivam propriè sumptam; at aliquam habet latam, fusamque, videlicet Deum, utpote sine eo repugnatura, atque in chimeram abitura: per illam ergo demonstrata, hoc ipso demonstratur munere causæ quodammodo efficientis, tum sui, tum etiam extremorum. Atque hinc liquet, quid dicendum de causa finali: eius enim difficultas, est eadem, aut non maior quidem,

CAPUT III.

Ulterior explicatio præcognitorum ad demonstrandum.

Quod attinet ad præcognita complexa demonstrationis, siue eius præmissas obiectivas, hæc debent esse propositiones per se notæ, siue primæ aut immediatæ: harum enim vocum idem est intellectus. Ita Aristoteles cum universa Peripateticorum scola. Idipsum etiam docet Clem. Alexand. li. 8. Strom. Porro autem propositio per se nota, siue prima, aut immediata, qualis esse debet duplex præmissa demonstratiua, definiri solet, quæ ex suis tantum terminis est cognoscibilis: quæ in definitione particula exclusivæ, tantum, indigitat eam medio à priori carere, cuius munere demonstrari possit ulterius: cæteræ autem definitionis partes, enuntiationem eiusmodi esse evidentem, eamque, ut propositis, penetratisque terminis illius nemo non possit ei non assentiri, aut certè nemo queat ei dissentiri: defectu evidentiae, hæc propositio, Deus est trinus, haud est per se nota, quamvis vacet medio à priori: defectu immediationis, hæc propositio, paries est albus, haud est per se nota, quamvis sensu evidens sit. eiusque terminis propositis, haud possumus hic, ut aiunt, & nunc ei non assentiri.

18

His constitutis, in proclui est ostendere, quia præmissæ obiectivæ demonstrationis esse debent per se notæ: Nam in primis, si non sunt evidentes, quo pacto conclusio ex his deducta esse poterit evidens, aut quomodo evidentiam quam non habent, impertire

19

pertire valebunt? Deinde, si non carent medio à priori, sed per illud probantur potius; hoc secundum medium, aut est probabile per aliud, aut secus? Si secundum, ergò præmissæ sunt per se notæ, & immediatæ, si non formaliter, at virtute aliarum à quibus deriuantur, & in quibus sistitur, velut omni vacantibus medio à priori, de quo solo est est sermo impræsentiarum: si primum, ergò datur processus in infinitum, qui tamen omnimodò repugnat, vt arguit Clemens vbi suprà citatus, & Aristoteles ipse multis in locis.

20

Quod si quis respondeat, absque vlllo processu in infinitum, secundum medium demonstrari posse à priori per tertium, & hoc per quartum, & quartum per primum, cui innituntur præmissæ obiectiue ordine priores; facile erit, hanc præcludere latebram: Quamuis namque verum sit, vnum medium à priori demonstrari per aliud, vnamvè causam vi alterius, & è conuerso: vt si concludatur hominem constare materia, quia formam habet, aut hac non vacare, quoniam illa præditus est: item vtrâque fortiri, per finem beatitudinis diuinæque visionis, propter quem est creatus: & rursus in hunc esse conditū, quia constat materia, & forma rationali: ac deniq; hæc omnia ostendantur, per causâ efficientem, & ista per illas priores causas: quamuis inquam ita se habeant hæc omnia, cæterum nihil eorum tollit, quominus præmissæ quælibet demonstrationis esse debeat, prima, & immediatæ à priori; tum quia caret medio à priori, siue causa, eiusdem saltem generis, idque non virtute tantum aliarum præmissarum priorum, in quibus sit status, sed formaliter, & in sese: tum etiam, quia licet ipsa per alias, aliâque possit probari medio à priori, saltem diuersi generis; tamen aliquas præmissas vltimas debere dari, in ipsamet instantia supponitur: hæc autem, quæ eæ cunque sint, necessariò sunt immediatæ, ac per nullas præmissas, nullòque, & nullius generis constantes medio à priori possunt probari: per quas enim? An per alias vlteriores? atqui hoc est fallum, dictumque ridiculum: foret enim vltimo dari posse aliud vlterius? An propterea per alias non vlteriores, sed anteriores? atqui etiam hoc repugnat: cum enim ipsa anteriores probet; quo pacto per eas simul probari potest, aut demonstrari, nisi detur mutua prioritas, eademque præmissa alias naturæ ordine antecedit, & subsequatur? at huiusmodi mutuam causalitatem, & prioritatem repugnare ostendam in Phys. lib. 4. tract. 4. Non me latet in probabilibus etiam haud esse processum in infinitum, sistendumq; potius necessario esse in aliqua propositione, quæ per aliam nec probetur, nec possit, aut vllatenus, aut saltem eodem genere medij: haud tamen propterea propositiones probabiles, cuiusmodi sunt, Petrus currit; paries est albus, aliæque similes, erunt per se notæ: quæ videlicet est earum ineuitentia & obsecritas. Consultò loquuti sumus hæcenus de propositionibus obiectiuis, quibus innititur demonstratio, non de formalibus: illæ namque solæ sunt præcognita demonstrationis: hæc vero magis præcognitiones, quam præcognita: illæ consequenter sunt proprie, & immediatæ per se notæ: hæc verò tantum per denominationem ab aliis.

21

Circà præcognita complexa, seu præmissas, illud etiam haud est prætermittendum, quod ab omnibus discuti consuevit, quatenus consent prædicato de omni, per se, & secundum ipsum? Prædicatum de omni perinde est, atque vniuersale: vniuersalitas autem duplex est: alia suppositorum, & alia temporis: illa tum datur, quando prædicatum conuenit

subiecto alicui, & omnibus sub illo comprehensis, quo pacto dicitur rationale de homine: hæc verò quando conuenit subiecto, in omni temporis differentia, qua potest existere; quomodo se habet prædicatum superius videlicet rationale respectu hominis; aut saltem in omni, qua existit; vti se habet nigredo contemplatione corui, & albedo comparatione niuis. Illud autem est discrimen, inter prædicatum de omni prioristice sumptum, id est pertinens ad syllogismum in communi, de quo in lib. priorum, atq; inter illud posterioristice sumptum, id est spectans ad demonstrationem, de qua in lib. posteriorum; nam primo intellectu haud est necesse, prædicatum illud re vera conuenire subiecto vniuersaliter, sed sufficit de eo ita dici, seu verè, seu falsò: alterutro enim modo syllogismi forma est eadem: Cæterum secundo intellectu oportet illud re ipsa, ac necessariò conuenire subiecto, eadem amplitudine, quæ explicata manet, propterea quod præmissæ demonstratiuæ esse debeant veræ, ac necessaria: tales autem esse non possent, si constaret prædicato de omni, sed falso, aut subiecto, non penes omnia eius indiuidua, seu inferiora conuenienti, veluti si dicas, homo currit: atque vtrumque obseruauit Conimbricenses lib. 1. post. cap. 4. p. q. 1. a. 1. Hurtadus disp. 1. c. 10. log. sect. 7. §. 39. Aueria p. 28. log. sect. 11. & communiter expositores Aristotelis. Quamuis autem eorum plures postulent, ad demonstrationem, quam latè patet, prædicatum de omni, ex parte præmissarum; at falluntur admodum: namque præmissæ demonstratiuæ non paucae constare possunt, & solent subiecto singulari, & nullo vniuersali, vt hoc animal est sensibile, sed hic homo est hoc animal, ergò hic homo est sensibilis, quidni ergò possint constare prædicato dumtaxat singulari, & non de omni. Deinde fieri potest demonstratio expositoria, non qualis præcedens, mixta ex terminis vniuersalibus, & singularibus, sed vndequeque singularis, vt hoc animal est hoc sensibile, sed hic homo est hoc animal, ergò hic homo est hoc sensibile: eiusmodi autem demonstratio haud constat prædicato de omni.

22

Respondebunt aliqui cum Caietano, in demonstratione proximè nobis obiecta, & quauis alia id genus prædicatum alterutrum, quo eius præmissæ constant, esse vniuersale, non positiuè, defectu videlicet inferiorum, at negatiuè, non absolutè, at conditionatè, non formaliter, at virtualiter: hoc enim sensibile, etsi non conueniat pluribus inferioribus sub hoc animali contentis, nulla enim sub eo continentur; at conueniret illis, si qua darentur, nec vtcunque, sed in omni temporis differentia. Hac ratione tuentur, omnipotentiam Dei esse prædicatum de omni, & suppositorum vniuersalitate præditum, eò quod, si darentur plura inferiora sub Deo, cunctis inesset omnipotentia: & accidens esse prædicatum de omni, & vniuersale quo ad tempus, respectu durationis A, quia, licet ei non conueniat in omni temporis differentia, haud enim esse potest in omni, sed dumtaxat in instanti A, cæterum, si in pluribus esset, ei conueniret. Aliud etiam huius vniuersalitaris negatiuæ, quo ad tempus, exemplum est aduersariis perquam familiare: aiunt enim, canitiem v.g. esse hoc pacto prædicatum de omni, & vniuersale intuitu hominis, quoniam est plurima sint temporis discrimina, in quibus homo non canescit, nullum tamen est, in quo eiusmodi prædicatum sit aptum, natumque competere homini, in quo ei non congruat. Parù tamen habet soliditatis hæc doctrina, quocunque explicata modo. Atque in primis

R

vniuer

vniversalitas illa negatiua virtualis, seu conditionata haud est proprie vniversalitas, sicut peccare sub conditione tantum haud est proprie peccatum committere, alioqui Deipara esset proprie, ac verè peccatrix, cum certum sit, eam peccaturam conditionatè, quippe si à Deo non esset prauenta: vniversalitas ergò illa virtualis negatiua seu conditionata non concludit, demonstrationem à nobis obiectam sortiri prædicatum de omni, aut vniversale si proprie loquamur, & rem, vt aiunt, ad viuum referemus. Secundò satis nobis fuerit, saltem demonstrationes non paucas carere prædicato vniversali, ac de omni posituè: nam & hoc Conimbricenses, & alij non plures aduersariorum inficiari non dubitant.

23 At quo pacto respondendum Aristoteli, apud quem nihil frequentius, quam demonstrationem constare prædicato de omni, eiusque vi concludere? Respondéo, sermonem ei esse de demonstratione, non quacunque, sed vsitata in scientiis humanis, quæ videlicet, cum sint de vniversalibus, & vt plurimum concludant de omnibus subiectis communia prædicata, inde fit vt demonstrandi genus earum proprium, ac familiare vtramque præmissam prædicato de omni constantem, vel certè vnam sibi vendicet. Reponderi secundò potest, ei sermonem esse de demonstratione modis omnibus perfectà, ac numeris absolutà: hæc autem nequit non vsurpare conditionem illam, de qua est in præsens quæstio: perfectior est enim demonstratio, ac scientia, quæ per prædicata communia, & vniversalia procedit, quam quæ per singularia, vt est perfectior medicinæ ars, quæ hominem curare docet, quam quæ Socratem, aut Calliam. Scius sum, alios aliter philosophum interpretari: sufficiunt tamen adducta interpretamenta.

24 Prædicatum per se, vt explicetur prius est animaduertere, Aristotelem quatuor assignasse modos dicendi per se: duo primi sunt prædicandi: tertius est essendi, & quartus causandi: Primus modus dicendi per se est, quando prædicatum est de essentia subiecti, in eiusque ponitur definitione, vt rationale hominis gratia. Circa quem constituo primò, eum neutiquam exposcere, vt prædicatum definiat immediatè subiectum, sed satis esse, vt mediatè: proinde hæc prædicationes erunt in primo dicendi modo per se, homo est viuens, homo est corporeus, homo est substantia: quin etiam hæc, homo est ens, quamuis, quod ad hanc attinet, aliqui apud Auerfam superius citatum renitantur. Constituo secundò, prædicatum esse posse in primo hoc dicendi modo etiam si in obliquo, & non in recto, vt cum asseritur, homo est compositum ex materia, & forma rationali, linea vtiq; finita est longitudo sine latitudine, & profunditate punctis vtrinque clausa; triangulus est, qui habet tres angulos, æquales duobus rectis: atque in hoc conueniunt Beatus Thomas, Caietanus, Albertus, Ægidius, & communiter cæteri interpretes Aristotelis.

25 Secundus modus dicendi per se est, cum è conuerso subiectum ponitur in definitione prædicati: vt homo est risibilis: risibile namque definitur homo ridendi capax. Hiç etiam statuo primò, passionem generis esse in secundo modo dicendi per se, respectu speciei, v.g. sensitium, provt est quædam potentia proxima, & quadantenus accidentaria ad sentiendum, nec non augmentabile eodem sensu, quantumque contemplatione hominis: nam licet homo non claudatur in definitione passionum harum; at includitur in ea prædicatum aliquod essen-

tiale hominis, videlicet animal, viuens, corpus: primum in definitione primæ, secundum in secunda, ac tertium in ea, qua explicatur tertia: Ita nostri Conimbricenses. 1. post. cap. 4. q. 1. art. 3. Contrarium tamen docent Auerroes, Albertus, Zabarella, item Philoponus, Caietanus, & Apollinaris, quamuis, quod attinet ad hos tres vltimos, moderationem quandam adhibeant, doceantque passionem generis esse in secundo modo dicendi per se, respectu speciei, saltem secundum quid, & imperfectè: Sed nechi, nec priores tres quidquam asserunt, quod difficultatem facessat.

Statuo secundò hanc propositionem, *numerus est par*, & hanc, *animal est rationale*, sumpta rationalitate, provt est differentia quædam nominata, & generis consequenter inclusiuæ neutiquam esse in secundo per se dicendi modo. Ita etiam Conimbricenses vbi supra: quorum opinio est innixa ratione: siquidem omne prædicatum quod est in secundo dicendi modo per se, debet esse tale, vt subiectum habeat necessariam, ac naturalem cum eo connexionem, eaque seclusa haud sufficit subiectum in illius definitione apponi: tum quia id videtur exposcere ipsa perfectatis natura, & conditio: tum etiam, quia prædicatum in secundo dicendi modo per se debet esse de omni, more primi, vt authoribus est solemne, ac proinde necessario conuenire subiecto, & cuius sub eo comprehenso: & quidem perfectatam in prædicando coniunctam esse cum necessitate, ac naturalem importare connexionem, docent Albertus lib. 1. post. tract. 1. cap. 15. Themistius cap. 14. suæ paraphrasin, Caietanus 1. post. cap. 6. dub. penult. & alij plures: at quantumlibet per numerum definiatur par, & per animal rationale, sensu superius insinuato, nec numerus cum priori differentia diuisua, nec animal cum posteriori connexionem vllam naturalem, aut necessariam habet, ergo &c. Hinc obiter constat, cum Zabarella lib. 1. de propositione necessaria c. 6. & Auerfa citata q. 28. log. sect. 11. debere excludi à secundo per se dicendi modo propositiones indirectas: tum quia in eis prædicatur de superiori inferiori: & illud cum hoc destinatè non connectitur: haud enim petit animal v.g. vt sit homo magis, quam bellua: tum etiam, quia propositiones illæ, *numerus est par*, *animal est rationale*, sunt indirectæ, vt docent Sotus, Ægidius, & alij complures, vtque à nobis est ostensum lib. 4. huius operis tract. 2. cap. 2. excluduntur autem ambæ à secundo dicendi modo per se: quidni ergo & cæteræ indirectæ.

Statuo tertio subiectum naturaliter, ac necessario conexum cum prædicato ei subiici per se secundo modo, tamen si non ponatur in illius, sed in alterius sub eo contenti definitione, quo pacto hæc propositio, homo est qualis, est in secundo modo dicendi per se, quia licet non intret definitionem qualis, vt potè cuius sphaera latior est, at certè definitionem risibilis, quod sub quati cohibetur. Quarto statuo, satis esse ad hunc dicendi modum per se, vt subiectum, & prædicatum connexa inuicem ita sint instituta, vt per se conueniant alicui tertio, quod in eorum definitione adhibeatur, veluti risibile est admiratiuum, rationale est risibile, &c. Hanc doctrinam tertio, & quarto loco positam, vt duas priores defendunt, vti solent optimè nostri Conimbricenses.

Quintò tandem statuo, hanc prædicationem, *paries est albus*, & alias similes haud esse in secundo dicendi modo per se, tamen si contrarium innuat Beatus Thomas 1. part. q. 76. art. 3. nam in primis subiectum

26

27

28

subiectum non habet necessariam connexionem cum prædicato, nec hoc ex eius essentia naturaliter effluit: deinde, vt disputat Sotus lib. 1. post. c. 4. haud definitur album per parietem destinatè sumptum, haud etiam per rationem aliquam genericam, & proximam in pariete clusam, sed per latissimam, & transcendentalem rationem subiecti, quod non sufficit ad hunc dicendi modum. Grauis etiam, atque inter authores magnopere disceptata quæstio extat in præsentia materia, videlicet an hæc prædicatio, homo albus est homo, & quævis alia id genus sit in primo dicendi modo per se, vel potius omnino contingens, ac nullatenus per se aut ad summum per se secundo modo? Cui tamen à nobis factum est satis, & abundè supra lib. 4. tract. 2. cap. 3.

29 Tertius modus dicendi per se vocari solet essendi per se: ac tum locum habet, cum res exiit per se siue independentè à subiecto: qualis est modus essendi proprius substantiæ: quippe, quæ definitur ens per se: necnon etiam, vt an maduertit P. Hurt. disp. 11. logic. sect. 8. §. 44. qualis conuenit accidentibus Eucharisticis. Quartus modus est per se causandi, videlicet cum dicitur de subiecto operatio aliqua, cum qua non connectitur, quamque potest amittere: cæterum respectu illius, cuiusque spectata facultate, non per accidens, vt architectus ædificat, cum tamen hæc propositio, architectus militat, constet prædicato per accidens, & non per se quarto modo.

30 His prælibatis lenicula difficultas est, quinam horum quatuor modorum per se ad demonstrandum sint apti? De duobus primis nulli est ambiguum, quin demonstrationibus aliquando inseruiant: an autem semper anve non solum viles, sed necessarij, videbitur haud ita post. Quod attinet ad duos postremos Zabarella lib. 1. de propositione necessaria cap. 3. docet eos esse modos per se prædicandi, ac proinde ad demonstrandum idoneos. Auerfa supra sect. 11. ad eius finem §. postremo videndum. tertium reiecit, sed amplectitur quartum. Alij verò ambo excludunt. Horum sententia suaderi solet ita: demonstratio omnis constat prædicationibus, velut partibus: solus ergo modus prædicandi per se erit ad eam utilis: modus autem essendi per se, cuiusmodi est substantiæ, vt aiunt, à parte rei, & accidentium Eucharistiæ, post consecrationem, propterea talis, non est modus prædicandi, quod idem claret de modo causandi: neuter ergo secundum specificam rationem est utilis ad demonstrandum: quo facit id videri opinatum Aristotelem 1. post. text. §. 5. & 44. & 155. Sententia vero eorum, qui tertium quartumque admittunt ita consuevit probari: multoties fiunt prædicationes, in quibus aliquid de subiecto dicitur ei propriè non inhaerens, sed cuiuscunque potius inhaerentis immune, atque ab omni subiecto liberum, veluti homo est animal, animal est substantia, accidens Eucharisticum sine subiecto subsistit: necnon in quibus de causa per se suis enunciatur effectus, vt miles pugnat, musicus psallit, venator nemora lustrat, saltusque indagine cingit: modus ergo essendi, & modus causandi sunt etiam prædicandi, adeoque ad demonstrandum apprime nati.

31 Sed enim quæstio est de vocabulo tota componique facilis: siquidem, aut sumuntur modi illi essendi, & causandi primo intentionaliter, atque ita conuincitur argumentis prioris sententiæ, eos ad demonstrationem nullius esse compendij: haud enim demonstratio est ordo processusve causalitatum, aut persequitatum sed prædicationum: aut contra sumuntur modi illi secundo intentionaliter; atque ita

P. Lyncei Philosophia. Tom. I.

sunt prædicandi multotiesque ad demonstrandum conferunt, vt v. g. si hominem esse substantiam assumatur, velut medium ad probandam eius à candore distinctionem, aut architectum ædificare, ad concludendum eius motum ac laborem. Hoc tamen est in præsentiarum animaduertendum, cuius forsitan ignoratio diuersa peperit opinamenta, authoresque superius memoratos diuisit hos duos modos aliter esse prædicandi, & aliter essendi causandive: sunt enim per se duntaxat in essendo, aut causando: at in prædicando non sunt per se sed per accidens: v. g. hæc propositio, accidens quoduis Eucharisticum existit per se, siue sine subiecto importat modum essendi per se; cæterum modus prædicandi est per accidens, cum accidenti Eucharistico sit omnino contingens & accidentaria, imò, quod plus est, contraria per eitas illa, & independentia à subiecto: item hæc propositio, musicus cantat, importat modum causandi per se: modus tamen prædicandi est per accidens: potuit enim musicus à cantu superfedere, riuosque claudere: Atque duo primi modi per se sunt prædicandi per se, propter essentialem, aut certè naturalem, ac necessariam connexionem subiecti cum prædicato quam semper important.

32 Altera difficultas priori parum ponderosior est, num præmissæ omnis demonstrationis esse debeant propositiones per se? Negant non pauci, cum Ariaga disp. 16. logic. sect. 8. num. 74. & quantum opinor iure merito: Nam in primis hæc est vera demonstratio, Citharædus me coram ædificat, Citharædus est albus, ergò aliquod album ædificat: at eius præmissæ non sunt in vilo dicendi per se modo. Rursus, vt singulos aggrediar, hoc est in primo, & non secundo, omnis homo est rationalis, omnis homo est animal, ergò aliquod animal est rationale: hæc verò in secundo, & non primo, omne admiratiuum est risibile, omnis homo est admiratiuus, ergò omnis homo est risibilis: ita verò in tertio, & hæc in primo nec in secundo, omne accidens Eucharisticum existit per se, ac sine subiecto, sed albedo est accidens Eucharisticum, existit ergò per se, siue sine subiecto: Denique, quæ sequitur est in quarto dicendi modo per se, & non in tertio, nec primo, nec fortassis secundo: quoties tellus interponitur inter solem, & lunam, huius accidit eclipsis: sed, vbi astra perueniunt ad tale cæli punctum, est interpositio telluris inter solem, & lunam: ergo & huius eclipsis.

33 Instabis pro demonstrationibus plures à nobis obtrudi minime tales, eas nimirum, quæ constant præmissis contingentibus, cuiusmodi est, vt alia prætermittantur, illa, vbi astra perueniunt ad tale cæli punctum, statim tellus interponitur inter solem, & lunam: Etenim conclusio demonstratiua est necessaria, quæ ergò fieri potest, vt eius præmissæ sint contingentes, atque falsitati obnoxie? Respondent aliqui apud Venetum, 1. post. cap. 6. haud demonstrari Eclipses lunæ, propterea est actus, sed propterea aptitudine sola, adeoque præmissam illam, vbi astra perueniunt, &c. importare magis aptitudinem, quam actum eoque sensu esse necessariam, haud secus, atque homo est animal, & quævis alia id genus. Sed hæc solutio, tum Veneto, tum etiam Aristoteli, ac ferè cæteris omnibus philosophis repugnat, estque à veritate planè aliena: omnem enim analogiam de medio sustuleris, si euentus contingentes actuales demonstrari renuas, quin etiam omnem demonstrationem experimentalem, omnemque à signo, & effectus quo tamen nihil magis absurdum absolumve. Alij cum Egidio Romano, ac Rodensi nostro respondent, propositionem illam esse necessariam ex suppositione,

tionem, & in ordine ad causam: esse siquidem nequit, ut aspera perueniant ad tale cœli punctum, quin sequatur interpositio telluris inter solem, & sydus lunæ: sed quid respondebunt hi auctores, ad alias præmissas superius adductas, quæ quidem contingentes sunt, & nullam causam important, nullam proinde necessitatem effectus ex hypothese: Quocirca melius & expeditius dici potest, præmissas superiores esse contingentes obiecto tenus cum nimirum illud sit indifferens ad esse, & non esse; at quatenus sunt eius repræsentatiuæ suapte natura, siue prout sumuntur secundum se, necessarias esse, cum sint certæ, & euidenter. Nec mirum est, in nobis id locum habere, non sine alicuius imperfectionis mixtura, quod in Deo seculis omni imperfectione visitur: Deus autem necessario, hoc est euidenter, & certo repræsentat obiectum contingens, & fallibile: quidni ergo intellectus noster, quamuis longè imperfectus, ita etiam obiectum assequatur suum.

34 Quod autem docet Aristoteles, præmissas demonstratiuas oportere constare prædicato per se, nec qualicunque, sed quod sit in primo, aut secundo dicendi modo per se, accipiendum est de solis illis, quibus constituitur demonstratio perfectissima, qua passim in scientiis prima passio per essentiam ostendi consuevit; cuiusmodi est hæc, exempli gratia, omne rationale est admiratiuum, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est admiratiuus, aut iuxta alios hæc, omne rationale est discursuum, omnis homo est rationalis, ergo & discursiuus: nam in utroque syllogismo maior est in secundo dicendi modo per se & minor in primo: Porro in priori syllogismo admiratiuum est prima passio logica, hoc est ab essentia tantum ratione distincta, & secunda cuius ibi nulla fit mentio est risibile: cæterum in posteriori discursuum, pro potentia videlicet accidentaria discurrendi, & organica, est prima passio physica rationalitatem, siue vim radicalem, ac substantialem discurrendi consequens: Vno exemplo vtuntur aliqui auctores, & alio alij: utrique verò bene si bene explicantur.

35 Prædicatum secundum ipsum perinde est, ac prædicatum necessarium, & conuertibiliter conueniens subiecto. Ita Ioseph. Boët. Caiet. Zabarella, Conimb. 1. post. cap. 4. quæst. 1. art. 4. ad finem. Hurtadus disp. 11. logic. sect. 7. Arriag disp. 16. logic. sect. 7. Tolet. & plerique auctores nostri: Item Beatus Thomas opusculo 48. cap. 5. Flandria 12. metaph. quæst. 16. art. 1. & Sopcinas quæst. 17. quatenus ex æquo tres edocent, conceptum superiorem minimè prædicari de inferiori cum quo non conuertitur, prout talis est, siue secundum ipsum. Quod ergo attinet ad huiusmodi prædicatum, eo constare præmissas demonstrationis, propter quid, potissimè dici solitæ, opinio est Aristotelis, patetque ex vulgari illa, ac multoties repetita demonstratione, omne rationale est admiratiuum, omnis homo est rationalis, ergo omnis est admiratiuus, ubi maioris, & minoris prædicatum conuertitur cum subiecto, ac proinde est secundum ipsum. Cæterum aliæ complures demonstrationes eius esse possunt expertes, ut omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo omnis est viuens: Nullus lapis est animal, sed marmor est lapis, non igitur animal.

36 Hic restabat discutiendum, an præmissæ demonstrationis constare debeant prædicato vniuersali: Verum, ut docet Aristoteles primo posteriorum text. 56. vniuersale in præsentis sumptum perinde est, atque quod est de omni, & per se, & secundum ipsum: Aristoteli suffragantur Rubius eodem lib. in expo-

sitione textus capitis 5. & 6. Hurtadus disp. & sect. paulo supra citatis. §. 38. ac ne morer in re confessæ cæteri omnes Doctores Quamobrem, cum explicata maneant prædicatum de omni, & prædicatum per se, necnon secundum ipsum, nil superest amplius explicandum de prædicato vniuersali: Atque hæc de præcognitis ad demonstrandum: quæ circa nihil est omisum, quod sit ponderis alicuius: nil nisi vocales quædam quæstiones, hæque solum de mente Aristotelis, de qua, si subiecta materia sit parui momenti, parum est curandum.

CAPVT IV.

De Syllogismo probabili.

Syllogismus probabilis est, in quo ex præmissis Sopinatiuis aliqua ritè inferitur opinio: Nuncupari solet dialecticus, non quod solus sit dialecticæ facultatis, ad eam namque pertinet etiam demonstratiuus, & sophisticus; sed quia res in opinione posita materiam præbent copiosè disputandi, in utramque partem, eamque certè, in qua logica longè, latèque vires suas ostendit: unde etiam vocari consuevit disertiuus, seu disputatiuus.

Præire ad illum tria docet Aristoteles, videlicet problema, propositionem, & prædicatum: Problema dialecticum est, oratio duplici interrogatione prolata, ut, sit ne materia cælestis specie diuersa à sublunari, an non. Propositio dialectica, quatenus vsurpatur in præsentis, est semiproblema, ut sic dixerim, siue vna tantum interrogatio, ut differat ne specificè materia cælestis à sublunari: Prædicatum dialecticum est, quod quaritur, & interrogatur in problemate, aut propositione: eiusmodi est, hoc quod est differre specie in quæstionibus adductis: quadruplex autem dici solet id genus prædicatum, videlicet terminus, siue definitio, genus, proprium, & accidens, de quibus nos fusè tum lib. 7. & 9.

Hic id tantum expediendum est, an syllogismus probabilis, si quando contingat eum falsis, at legitimis constare præmissis, & quamuis ex parte materiæ, at non ex parte formæ deficere; nihilominus sit propriè ac strictè syllogismus: Esse censet Rubius lib. 1. post. cap. 9. in expositione textus numero 7. & Aueria quæst. 29. logic. sect. 6. §. de syllogismo parum ab initio, ubi eiusdem esse sententiæ sentit Aristotelem: Mihi quoque ea videtur longè magis probabilis: Namque in primis enuntiatio falsa est verè, & propriè enuntiatio, ac secunda mentis operatio, hoc solo quod vnum de alio affirmet: similiter ergo syllogismus, falsis coalescens præmissis, vera tamen ac propria ratione syllogismus erit, ac tertia mentis operatio, hoc ipso quod vnum ex alio, id est aliqua esse idem inter se, ex eo quod sint idem vni tertio ritè inferat.

Insuper secundò: syllogismus definiri solet à dialecticis omnibus oratio, in qua, quibusdam positis, aliud sequi necesse est, hoc est, ut explicat Aulus Gellius, lib. 13. noctium Atticarum cap. 26. in qua quibusdam concessis, & consensu ea propter alia concedi oportet: at quamuis aliquæ propositiones sint falsæ, dummodo tamen sint rectè dispositæ, & non peccent in forma syllogistica, eo ipso vim habent inferendi conclusionem; & hæc ex iis necessario sequitur, illisque concessis haud debet negari: syllogismus ergo strictè, & rigorosè talem cum assensu conclusionis simul efficiunt.

Enimverò quidam alij, & quod diffiteri nolo, nequeo

nequeoque, satis probabiliter censent, syllogismum probabilem, tamen formalis sit, ac rite dispositus, ubi tamen falsus constet præmissis, haud esse propriè, & rigorosè syllogismum. Pro quorum sententia opponens primò: Definitio falsa propriè, & strictè definitio non est, cum propria, ac stricta ratione non explicet naturam rei, sed potius eam nesciri faciat: Vnde meritò Cicero lib. 1. de inuent. *Mala definitio est, cum falsum quiddam dicit, hoc pacto, sapientia est pecunia acquirenda intelligentia.* Similiter ergo syllogismus falsus &c.

42 Oppones secundo: syllogismus est argumentatio, in qua præmissæ conclusionem inferunt: igitur in tantum syllogismus aliquis talis erit verè, & propriè in quantum eius præmissæ vera, & propria ratione conclusionem inferunt; in tantum verò impropriè, & apparenter, in quantum eius præmissæ impropriæ, & apparenti tantum, atque adumbrata ratione conclusionem inferunt: quando igitur syllogismus, falsis præmissis constans, vi illarum duntaxat apparenter, & impropriè conclusionem infert; falsò enim inferre, & apparenter, ac impropriè inferre in idem recidunt, sicut esse falsum aurum, cuiusmodi est aurichalcum, haud dubiè esse improprium, apparensque tantum, ac simulatum aurum; sanè syllogismus falsus innitens præmissis apparenter tantum, & impropriè syllogismi rationem obtinebit.

43 Oppones tertio: Navis v. g. papyracea haud est simpliciter, & propriè navis, quia licet formam habeat navis, non tamen materiam eius propriam, pineam videlicet, aut alterius ligni: pari ergo ratione, tamen syllogismus probabilis, at falsus, & quamvis verisimilis, non tamen verus, forma syllogistica sit præditus, haud tamen erit propriè, & strictè syllogismus, defectu materiæ, & propterea quod propositiones, ex quibus coalescit, haud sint veræ, sed falsæ potius. Oppones denique quarto Damascen. cap. 48. dialect. *Oportet autem cognoscere, quod oportet propositiones veras esse, & conclusionem sequi ex propositionibus: si enim inveniatur una propositionum falsa, parallogismus est, & non syllogismus:* & ibidem paulo supra: *syllogismus componitur ex duabus veris propositionibus, & conclusione.*

44 Ad primum horum dicito, in definitionis definitione includi, quod sit veramnam explicare rei naturam & scire quod quid eius, nulla potest oratio, nisi sit cum veritate coniuncta: quo pacto demonstratio, quia definitur syllogismus faciens scire, veros suapte natura, ac definitione postulat assensus, nec aliis constare sustinet; Atqui in definitione syllogismi ut sic, quod aiunt, haud exprimitur, quod eius præmissæ sint veræ: perperam ergo arguitur in præsentiarum à definitione in communi ad syllogismum: nulloque iure colligitur ex eo quod illa proprie sumpta nequeat esse falsa, de hoc adstruendum esse simile quidpiam.

45 Ad secundum dicendum est, præmissas falsas, haud tamen falsò, sed verè inferre conclusionem, & quamvis propositiones non sint veræ, earum tamen connexionem esse veram, cum prioribus admissis postrema haud debeat negari respicere: Hinc est, ut, contra quam sentiunt aduersarij, præmissæ probabiles, quantumvis falsæ, non impropriè, & apparenter, sed propriè, & strictè conclusionem inferant, adeoque syllogismum omni cum proprietate, & rigore, constituent: Quocirca exemplum aurichalci nobis potius fauet: idcirco enim est improprium, quia falsum aurum: at assensus principiorum probabilem verè infert conclusionem, & ad eam non

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

negandam necessitat, quamvis ipse sit falsus: eiusmodi ergò illatio, adeoque tota syllogizatio est propriè, & strictè talis. Aut paulò aliter: aurichalcum propterea improprium, & metaphorica ratione est aurum, quia est falsum aurum, falsitate opposita veritati transcendentali auri, siue quia non est aurum transcendentaliter verum: at præmissæ probabiles formaliter falsæ haud tamen sunt transcendentaliter tales, sed potius transcendentaliter veræ, cum naturam præmissarum reuera obtineant: hac ergò veritate, adeoque propriè conclusionem inferent, & syllogismum producent. Hinc nostra obiter confirmatur, ac declaratur opinio: Syllogismus nihil aliud est, quam præmissæ, & conclusio connexæ inuicem: at præmissæ falsæ sunt propriè præmissæ, sicut enuntiatio falsa est propria ratione enuntiatio; conclusio quoque falsa est similiter propria conclusio; ambas item propriè connecti & est probatum paulo supra, & apud omnes in confesso: syllogismus ergò ex iis coalecens propriam, ac strictam rationem syllogismi suo sibi iure vindicabit.

46 Ad tertium responderi debet, namque, præter formam suam artificiosam, includere essentialiter certam, ac destinatam materiam: id quod de ea, ac de ceteris arte factis naturalibus probat Fonseca lib. 5. metaph. cap. 7. quæst. 5. sect. 4. tum exemplo Sacramentorum nouæ legis, quæ, cum sint arte facta quedam supernaturalis, ac diuini ordinis, materiam sensibilem, ac certam formam deposcunt, tum etiam auctoritate Aristotelis 1. physicor. cap. 7. & 3. physic. cap. 7. & quidem sponte sua perspicuum est; etenim navis est vehiculum quoddam ad mare transmittendum, eiusque pericula superanda idoneum: eiusmodi autem esse nequit, nisi materia constet ligni, non verò papyracea: illam ergò postulat essentialiter, & hanc reicit: quid mirum ergo si papyro, aut cera, aliave id genus materie facta, haud sit simpliciter navis, sed potius eius simulachrum. Hæc autem ratio non procedit in syllogismo probabili, seu verisimili, non tamen vero, sed ex falsis coalescente præmissis: quamvis enim cæterorum artefactorum more determinatam efflagitet materiam: cæterum eiusmodi materiam negamus esse debere propositiones veras, & non potius iudicia intellectus, siue vera sint, siue falsa: quorum defectu, si quis ab aliquibus apprehensionibus gradum faciat ad alias, aut ab vno voluntatis actu, vel pluribus ad quandam tertium, non ob id syllogizabit. Ad quartum respondeo, Damascenum loqui non de syllogismo probabili, de quo tamen solo est præsens controuersia, sed de demonstratiuo: ita enim ait in ipso illius cap. vestibulo: *Sciendum, demonstrationem esse logicæ speculationis, demonstratio autem syllogismus est.*

CAPVT V.

De syllogismo sophistico.

47 Syllogismus sophisticus, qui & fallax dicitur, nec non apparens elenchus, litigiosus, & pseudographus, talis est, qualis nuncupari solet, aut ratione materiæ, aut ratione formæ: Materia facit, syllogismum aliquem esse sophisticum duobus modis: primò, si præmissæ aliquæ assumantur ut probabiles, re tamen vera sint omni probabilitate destitutæ nihil enim prohibet, quidpiam videri aliquibus probabile, haud tamen esse reuera eiusmodi, sed improbabile potius, ut solem esse multo minorem telluris orbe, maiorem esse cum nascitur occidere

R 3

quam

quam cum medium cali tenet iter, esse vicinum terris prope horizontem: hinc est, vt recte definiat Aristoteles, probabile esse, non quod cuius verisimile apparet, sed quod omnibus, aut omnibus sapientibus, aut pluribus sapientibus, aut quibusdam egregiis, & probatis: Secundò, si præmissæ aliquæ assumantur, vt euidenter, ac demonstratiuæ, cum tamen reapse haud sint tales, sed potius euidenter falsæ: vt si quis putans, hanc propositionem, *omnes lineæ deductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales*, esse principium Mathematicum, adeoque summè euidentis, ac manifestum sic arguat, omnes lineæ deductæ, &c. sed diameter circuli & eius medietas siue semi circulus sunt lineæ, quæ ab eodem puncto deducuntur ad idem, nequeunt ergò nec esse æquales: quæ consequentia est euidenter falsa, quia, contrà quam ab arguente putatur, talis est maior propositio: haud enim omnes lineas ab eodem puncto ad idem prodeuntes esse æquales, sed omnes lineas rectas eadem interiectas extrema talem æqualitatem fortiri euidentis est, ac Mathematicum axioma. Porro hoc genus syllogismi, in quo quis vt euidentis accipit, quod est apertè falsum, & impossibile proprio nomine paralogismum vocat Aristoteles lib. I. Topicor. cap. I.

48

Ratione formæ syllogismus euadit sophisticus, cū existimatur esse in forma (hoc est, talis vt, concessis præmissis quib. constat, haud possit, debeatvè eius negari cōclusio) quin reuera formalis sit: non secus atque homo apparet homo, cum tamen humanitas sit ab eo prorsus aliena. Forma autem syllogistica, etsi latissimè sumpta perinde sit, ac artificium quodlibet maioris, minoris, & conclusionis, iuxta disputata superius hoc lib. 5. tract. I. cap. I. at strictè, & propriè sumpta est id tantum artificium, merito cuius præmissæ sunt semper viles ad concludendum: Tunc ergò syllogismus aliquis est in forma, qua de agimus in præsentī, quando est in aliquo ex modis illis vulgo circumferri solitis, Barbara, Celarent, &c. tum verò non est in forma, solumq; apparet esse in illa, quando est in aliquo ex modis illis inutilibus quos supra tract. I. cap. 3. cohibuimus versibus illis, Bilbilis & Colophon Priami Euterpeque canora Laertes Catochos, &c. exemplum Bilbilis esto, aliquis homo currit, Petrus est aliquis homo, Petrus ergò currit: Colophonis, aliquis homo non currit, Bucephalus non est aliquis homo, Bucephalus ergò non currit: Cæterorum etiam paradigmata sunt perquam facilia, eisque proinde superfædeo.

49

Sciscitaberis hic, an syllogismus sophisticus sit propriè, & rigorosè syllogismus? Respondeo esse, si eo tantum vitio laborèt, quod eius præmissæ haud sint probabiles, pro eo ac existimantur vel certè non euidenter, quamuis putentur esse tales, sed è contrariò improbabilis, & euidenter falsæ: quo pacto superiori capite constitutum est à nobis, syllogismum Dialecticum propriam, ac rigorosam syllogismi rationem obtinere, licet eius præmissæ, cum videantur veræ, tamen falsæ sint, ac magis verisimiles, quam veræ: Et quidem argumenta, quibus id ostendimus, parem habent in præsentī vim, ac sunt ponderis eiusdem, rectè si adhibeantur.

50

Sin autem syllogismus sophisticus talis sit, ratione formæ, ac dispositionis præmissarum, profectò non erit nisi impropriè, & adumbratè syllogismus. Iccirco enim homo pictus v. g. non est propriè homo, quia non habet propriam, & essentialē formam hominis, eamque tantum accidentibus mentitur externis: atqui syllogismus ratione formæ sophisticus, & apparens non habet reuera formam

propriam, & essentialē syllogismi: aut quod perinde est, eam connexionem propositionum, vt prioribus concessis, postrema non debeat vnquam negari huicve nequeat subesse falsum, illæ si sint veræ: haud ergò est propriè syllogismus: atque ita sentit Aristoteles I. Topicor. cap. I. & I. Elenchorum cap. I. quem sequuntur Auerfa, ac Rubius supra cap. 4. parum ab initio à nobis citati & cum eis plerique Dialectici.

Sed enim obiicies, hunc in modum: syllogismus ratione formæ sophisticus est propriè argumentatio: tum quia in illo discurret intellectus ab vno ad aliud, & propter præmissas iis deceptus conclusioni præstat assensum: tum etiam, quia non est prima mentis operatio, siue mera apprehensio, nec etiam secunda mentis operatio, siue iudicium, sed potius iudiciorum processus, ac v. luti tela quædam: ergo tertia mentis operatio, siue argumentatio: at non enthymema, aut aliud argumentationis genus, præter syllogismum: sub hoc ergo propriè continetur.

Respondeo cum non paucis, quos nominibus suppressis refert Auerfa q. 25. log. sect. 4. paulò post medium, syllogismum ratione formæ sophisticum haud esse propriè argumentationem. Primò namque materia, & forma rationalis, si non sint vnitæ, & connexæ inuicem, non sunt propriè homo: item, vt exemplo magis logicali vtat, subiectum, & prædicatum, tametsi sint in intellectu, adeoque apprehendantur propria, & vera ratione, non sunt iudicium, hoc ipso quod non vniantur, nec alterum dicatur de altero: similiter ergò licet in syllogismo sophistico, ac non formali sint præmissæ, & conclusio, nihilominus ambæ non erunt propriè argumentatio, si non connectantur inter se: at ita non sunt connexæ: propterea enim concessis eiusmodi præmissis conclusio negatur, quia inter hanc, & illas non est connexio debita.

Præterea: secundò: ex mutlis apprehensionibus oriri solet iudicium, v. g. ex ea, qua apprehendimus hominem, illaque, qua animal, hæc enunciatio, *homo est animal*: atqui ea non ob id est discursus, & tertia mentis operatio: quod igitur conclusio sophistica proficiscatur à suis præmissis, & ab his ad illam gradum faciat intellectus noster, nequaquam argumento esse potest, ambas efficere argumentationem propriè, & strictè talem. Dices, originem, & emanationem iudicii ab apprehensionibus præuiis haud esse discursum, defectu materiæ; quippe quæ non alia ad discurrendum est apta, nisi iudicium, ad cuius certè perfectionem, & essentialē nulla pertingit apprehensio. Contrà: quæuis operatio intellectus non est materia sufficiens argumentationis: quæuis ergo illatio non erit forma ad argumentandum sufficiens: quemadmodum igitur progressio ab apprehensionibus ad iudicium non est argumentatio, quia non coalescit ex iudiciis, nec sortitur materiam sufficientem, & vt sic dixerim, proportionatam; ita etiam motus intellectus nostri à præmissis non rectè dispositis, nec in aliquo modorum vtilium Barbara, Celarent &c. collocatis ad conclusionem fallacem haud erit rigorosa, ac propria ratione argumentatio, ob defectum videlicet formæ, quæ certè ad omnem compositionem non minus, sed potius magis desideratur, quam materia cui superuenit.

Insuper tertio: vtī oppositio logica contradictoria potissimè in eo elucet, quod propositiones ei obnoxie haud possint esse simul veræ, quamuis etiam ita institutæ sint, vt alia physicè excludat aliam ab eodem intellectu; sic equidem argumentatio,

51

52

53

tatio, tametsi propositionibus constet physico quodam ordine sese respicientibus, & quarum alia nascitur ex alia; ceterum eius potissima ratio, & conditio est præmissarum, & conclusionis connexio intentionalis, atque quo ad veritatem, merito cuius illæ nequeunt esse veræ, quin etiam hæc sit cum veritate coniuncta, illarumvè, quod perinde est, obiectum esse, quin existat etiam huius: Atqui hæc connexionem destituitur id genus syllogismi apparentis, quo de agimus.

55 Ad hæc quartò: si syllogismus formaliter sophisticus esset propriè argumentatio, certè non alia quàm syllogismus, vt rectè obiciunt aduersarij: quo fit è Conuerso, si non sit propriè syllogismus, haud etiam esse posse strictè argumentationem: Atqui non est verè syllogismus: hunc enim cum Aristotele omnes definiunt, in quo ex duabus præmissis necesse est conclusionem sequi, id est, in quo ea debet ex illis sequi: moraliter enim loquendo id necessarium est, quod debet fieri, qua ratione vulgò dicimus, restitutionem rerum alienarum esse necessariam, propterea quod sit debita: at ex præmissis non formalibus non debet inferri conclusio, sed potius oportet, ac rationi valde consentaneum est, vt non inferatur: non ergo earum complexio est rigorosè, & propriè syllogismus, atque aded, vt dictum est, nec argumentatio.

56 Quintò tandem, quod ait Auerſa citata q. 2 §. log. sect. 4. necnon q. 29. sect. 6. syllogismum sophisticum defectu formæ talem propriam, ac strictam rationem esse argumentationem, atque etiam syllogismum, non tamen qualem definit Aristoteles, & cum eo tota schola, sed latius sumptum, meo iudicio friuolum est: quo enim fundamento negat, Philosophum tradita à se definitione syllogismi omnem propriè talem non complecti: quo, syllogismi illius latius fusi, sed tamen proprii ac veri oblitum fuisse: quid etiam aliud quam viam aperit tollendi de medio rerum definiendarum artem: quæ enim eius utilitas esse potest, aut quid secundum eam concludi potest de naturis, & essentiis conceptuum communium, si fas est definitionibus definita, non quæ sonant, sed quæ cuique comminisci libet, accommodare: fac aliquem sustinere, gratiam, ac dona supernaturalia non esse accidentia, sed substantias: huic si opponas, ea haud esse entia per se, an nõ facile te eludet, si ex doctrina Auerſæ, eiusque philosophandi ratione, dixerit definitionem illam, substantia est ens per se, non esse omnis substantiæ, sed duntaxat naturalium, earumque, quas nouimus, & experimur.

57 Ad primam rationem illarum, quibus ostendebatur, syllogismum sophisticum, formæ vtique, ac rectæ dispositionis defectu, esse propriè argumentationem, dicendum est, non omnem discursum intellectus ab vno actu suo ad alium esse propriam, & vera ratione tertiam mentis operationem, aut discursum, per quem hæc solet definiri, sed eum tantum cuius præmissæ connexionem habent cum conclusione ex illis sequuta: ita autem haud connectuntur partes, quibus quodammodò coalescit syllogismus, non formalis, & ob id pseudographus. Ad secundam rationem respondendum est, syllogismum, quo de loquimur, esse secundam mentis operationem non tamen vnā, sed multiplicem, & per accidens pluribus cumulata: haud ergo necesse est, haud etiam æquum, eum ad tertiam mentis operationem reuocare.



TRACTATVS IV.

De aliis argumentationibus.

CAPVT I.

De Enthymemate.

MULTIPLEX est ac varia enthymematis apud authores nomenclatura: Mendoza in viridario lib. 7. cap. 11. Cyprianus Soarez lib. 2. Rhetoricæ cap. 19. illud vocant orationem bipartitam, vel bimbrem, aut ex duobus tantum pronuntiationis constitutā, vt omnis homo est animal, ergo Petrus est animal, nullus lapis est animal, ergo nullum animal est lapis. Quintilianus lib. 5. Oratoriarum instit. cap. 14. & alij complures illud nuncupant syllogismum imperfectum, seu truncatum, necnon partem syllogismi, propterea quod cum alia propositione subintellecta sit integer syllogismus, secus verò sine illa: nam superius enthymema priori loco in exemplum adhibitum huius additamento minoris *Petrus est homo* ita perfectum efficias syllogismum, omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal.

Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 1. & lib. 1. poster. cap. 1. illud nominat syllogismum oratorium, quod eius frequentior sit vsus apud oratores, quam Philosophos: Quod orator aliquis (vt exemplo vtar Fabij vbi paulo supra) diceret, cum argentum legauerit omne, pecuniam quoque legauit, quæ est in argento; ita debet philosophicè, ac scholasticè proferri, si pecunia, quæ est in argento signato, argentum est, qui argentum omne legauit, & pecuniam quæ est in argento signato legauit: argentum autem omne legauit: igitur & pecuniam, quæ est in argento, legauit. Quod item ait Cicero pro Milone: *Eius igitur (scilicet Clodij) mortis sedes vltiores, cuius vitam si puteris per vos restitui posse nolitis?* ita dicendum est philosophico, ac scholastico more, cuius vitam nolitis restitui iudices, eius non debetis vlcisci mortem: at Clodij vitam si puteris restitui posse, nolitis: eius igitur non debetis vlcisci mortem. Quod denique Micipsa apud Sallustium ad Iugurtam Manastabilis fratris filium, quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris? ita scolæ stylo protuleris; si quando sperare potes alienos fore tibi fidos, debes tuis hostis non esse, at sperare potes aliquandò alienos tibi fore fidos, haud enim credibile est, nusquam inter eos tutam esse fidem, tuis ergo debes hostis non esse.

Huius autem discriminis inter oratores, & philosophos Fabius iterum, atque iterum à nobis laudatus rationem tradit perquam elegantem, in hæc verba namque illi homines docti (scilicet Philosophi) & inter doctos, verum quarentes minutius, & scrupulosius scrutantur omnia, & ad liquidum, confessumque perducunt: vt qui sibi, & inueniendi, & indicandi vendicent partes, quarum alteram topicen, alteram criticem vocant. Nobis (id est oratoribus) ad aliorum iudicia componenda est oratio, & sapiens apud omnino imperitos, atque aliarum certè ignaros literarum loquendum est: quos nisi, & delectatione allucimus, & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus